

NUMMUS MEMORIÆ SACER
CAROLO V. IMPERATORIS: CU-
sus, ut verisimile est, paulò antequàm, secundam in
Africam expeditionem susci-peret:
Anno Christi 1541.



Ultra Herculis Columnas non esse, quo ulterius progre-
diare, sermone adeò crebro usurpatum fuit, ut in
proverbium etiam abierit. Fixisse Columnas has
in finibus Hispanicis tum fingitur Hercules, cum
boves Geryonis investigaret: tanquam illic supre-
ma orbis esset meta: neque accessus ad ullam terræ
plagam daretur ulterior. Jure igitur meritoque
symbolum hoc usurpat Imperator nunquam satis
laudatus, utpote qui plus terræ ultra terminos illos

Herculeos, non aperuit modo, sed etiam occupavit, susceptâ duplici in
Africam expeditione: quarum altera feliciter (ut supra monuimus) eque
animi confecta sententia fuit; tantum periculi atque infortunij altera ha-
buit, ut inter ea, quæ sinistro à Carolo suscepta omne fuerunt, recen-
seri primo loco debeat. Quò Solymannum ex Ungaria avocaret, inque diver-
sa parte distineret, longo radio soque itinere Algeriam Africæ urbem (olim
Juliam Cæsaream dictam) appulit; Mendosamque cum Hispanicò milite
eodem venisse reperit. Universâ classe ad oppidi conspectum in anchor-
is stante, ac Hispanos, Belgasque expectante, biduum transiit, quo Cæsar
circiter viginti millia peditum, cum maxima equorum ac tormentorum
parte, in terram exposuerat, parans simul alia ad expugnandâ Algeriam ne-
cessaria. Inclinate die, subito exorsus procellosus imber, totâ nocte uni-
versum exercitum aquâ pluviali perfudit: ingenti que illato in cōmodo, ne
tormentis sclopetisque uti possent, effecit. Adhæc diversissimis mundi è
plagis exorti summâ cum violentiâ venti atrocissimam excitant tempesta-
tem, unde fiebat, ut fluctuum ad littora percussu jactatâ, ac inter se con-
currentes naves, ruptis anchorariis funibus, inspectante ac gemente exer-
citu